



UNIVERSITÉ
DE PARIS
COLLÈGES



BIBLIOTHÈQUE
DE
L'UNIVERSITÉ





Table

des ouvrages
contenus dans ce volume.

1156754051

- 1 Bayeux (Collège de) Statuta collegii Baiocensis Statuta.
- 2 idem. Arrêt du parlement 1713 15^{me} homologuant une conclusion de l'université du 27^{me} 1713 relative à ce collège.
- 3 idem. Suivent un autre arrêt sur les Boursiers.
- 4 Factum relatif à la plainte maintenue en la principalité de Boncourt.
- 5 Orléans (Collège du) Statuta collegii Orléans-Borbonici edita die 7 Januarii, et de senatu confirmata 17 Junii. an. 1661.
- 6 idem. Regulæ collegii Borbonici-Orléani excerptæ à Statutis &c.
- 7 Grassins (Coll. des) Arrêt du parlement, 1710 4 mai, qui homologue l'avis des S^{rs} Pirot et Pourchet, sur l'administration des biens de ce collège.
- 8 Extractum e commentariis universitatis (relatif aux logements qui peuvent être concédés dans les collèges).
9. Eius. humbles et très-respectueuses représentations de l'Université de Paris au Roi, au sujet des lettres patentes du 20 Août 1767.
10. Universitas Studii Parisiensis Socii et amici universitatibus Studiorum.
11. Factum pour M^{re} Claude de Cordoy esleu principal de la maison de Montargis, contre les S^{rs} chartreux, opposans à cette election.
12. Ste Barbe (coll. de) Fondation 1556 19 novembre.
- 13 idem. Mémoire pour les curé et Marguilliers de St Hilaire à Paris ayant droit de présenter à 2 bourses du collège Ste Barbe deux enfans de leur paroisse.
14. idem — Factum signifié pour les principal, procureur, Chapelain boursiers de ce collège contre les S^{rs} recteur Doyens &c. de l'université de Paris.
- 15 Tours (collège de) Statuta Venerabilis collegii Turonensis parisiis fundati.

E. S. V. P.

16.


à Messieurs du Parlement (L'Université contre M^e Lenormant, Syndic du Clergé
du diocèse de Paris)

17.

Requête pour les Recteur, doyens, & de l'Université contre J. Magny, commis au greff
des gens de main-morte, et de M^e J. Lenormant, Syndic &c.







REGULÆ COLLEGII SORBONÆ-PLESSÆI,



EXCERPTÆ E STATUTIS

Tam ejusdem Collegii peculiaribus, quam generalibus Universitatis.

I.



UPREMA Magistrorum omnium cura erit, ut commissos sibi Juvenes, Pueros-ve fideliter edoceant, Deum timere, amare, colere: B. V. Deiparam, Sanctosque omnes, revereri; invocare: Regi Christianissimo bene precari, & debitam ex animo reverentiam atque obedientiam exhibere, Magistratibus parere, subesse præpositis, recedere à malo, & ad omne se opus bonum accingere.

II.

SCHOLÆ nostræ Discipuli sciverint imprimis, Christum unum esse nostrum omnium Doctorem, ac Magistrum; ut scientiæ, sic gratiarum omnium autorem, ac largitorem; qui, quàm pios Adolescentes habet in deliciis, tam improbos averfatur. Gratos igitur ei se nostri præstare studeant oratione ferventi, castâ vivendi ratione, usu frequenti Sacramentorum; nec mensis ullus effluat, quin semel, ad minimum, in sacro Pœnitentiæ lavacro, Conscientiæ maculas repurgent.

III.

AD id autem pietatis officium privatis adhortationibus incitabuntur sæpe, sexies verò per annum, habitis coram omnibus in Sacello Collegii sacris Concionibus; nimirum Feriâ 6. post scholarum instaurationem. Biduo antè festum Sanctorum omnium. Biduo antè natalem Domini. Feriâ 6. in Quinquagesimâ. Feriâ 3. majoris Hebdomadæ, & biduo antè Pentecostem. Intererunt omnes scholastici, atque unâ Pædagogi quilibet & Doctores, ut suos quique Discipulos & præfentes contineant, & quàm verbo, tam exemplo erudiant.

IV.

CUM id imprimis Academiæ legibus præceptum sit, ut pueri & litteras simul discant, & bonis moribus imbuantur, Magistri omnes sedulo puerorum animis, dum patientes culturæ sunt, divini verbi semina committant; atque idcirco, præter fidei rudimenta, selectas aliquot è scripturâ sacrâ sententias, [ut à præclarâ artium facultate rursus non ita pridem sapienter sancitum est], quotidie Discipulis memoriter ediscendas proponant, iisdemque divini illius libri, qui verba vitæ æternæ continet, quam maximam fieri potest, reverentiam inspirent.

V.

PRÆ cæteris discant litteras sacras, qui in sortem Domini vocati sunt, pectusque suum Bibliothecam faciant Christi: sermonis insuper elegantiam, verborum copiam, rerumque optimam supellectilem à profanis Scriptoribus mutuentur; erunt ista quasi pretiosa vasa, quæ ab Ægyptiis auferri sine piaculo liceat populo Dei, ut ad constructionem Tabernaculi Fœderis, & ad ornamentum Sanctuarii inserviant. Si quis de institutâ ratione studiorum atque exercitationum, quæ fieri in Gymnasio solent, contemptim loquatur, aut præ se ferre pietatis odium & laboris videatur, in illum tanquam in nefariam totius disciplinæ pestem animadvertatur.

VI.

CUM mors & vita sit in manu linguæ; & serpat ut Cancer sermo malus; ne fuerint sermones adolescentium in malis dissoluti, vani, dolosi, scurriles, impuri; sed quæcumque sunt honesta, verecunda, sancta, bonæ famæ, hæc loquantur. Foris ergo procul libri impudici, vel amatoriaræ nugæ, quibus lascivia, peculantia, procacitas excitentur: procul etiam contumeliæ; vel Satyræ in quemquam publicum ordinem, vel Magistratum, vel privatum hominem. Cantilenas item inhonestas, obscenas imagines, & alia id genus, si quis ausus erit in Collegium inducere, proptinus severe puniatur; si pœna nihil profuerit, penitus ejiciatur.

VII.

AD spectacula publica, noxia-vel oca, divertant nunquam Scholastici nostri. Ab alæ, Comædiis, ludisque vetitis prorsus abstineant. Si quis Magistris non obtemperaverit; si præscriptam studendi rationem non servaverit; si molestus fuerit, & exemplo suo Condiscipulis perniciosus, dimittatur. Si quis propter vitam licentiosem, damnatos-ve mores ex aliquo Collegio ejectus fuerit, ne admittatur. Similiter qui ex inferiori alterius Collegii Scholâ, in aliquam ex nostris superiorem, è quartâ v. g. in Secundam, vel è Secundâ in Philosophicam, sic evolare voluerit, ut eam, quæ sit media, transiliat, repellatur.

VIII.

OMNES Scholastici, tùm qui intra hæc septa commorantur, tùm qui foris, Magistris omnibus, Professoribus, Sacerdotibus, aliisque viris honestis, ubique semper honorem habeant: eos in Collegio sive prætereant, sive alloquantur, aperto capite saluent, & cum iis, ut decet ingenuos, humaniter versentur: superbiam in suo sensu, aut in verbo nunquam dominari permittant.

IX.

QUIN ipsi inter se invicem usque præveniant honore, urbanitate, obsequiis. Aberunt igitur ab illorum congressibus aliena & probrosa nomina, maledicta, convitia, detractiones, iræ, rixæ: sint joci sine vilitate; sales sine dente. Nemo alterum contemnat, vel percutiat, ne ludens quidem aut per jocum. Nemo infandum Diaboli nomen pronuntiabit; omnes denique ab omni juramento, blasphemâ, perjurio, dirisque in se vel alios imprecationibus abstinebunt.

X.

HORIS manè & serò constitutis, ubi dederit campana, in scholâ diligenter compareant, ingressi verò in Collegium, ne per aream hæc, illac vagentur cursitationibus indecoris, ne tumultuentur, ne ludant, aut nugentur inter se: aliorum Classes ne subeant, sed in suo quique ordine quieti, suisque officiis intenti, sine strepitu & clamore Professore expectent: Dato pariter exeundi signo, suas quique domos citò repetant. Lectionum autem omnium, ut initium, sic finis erit oratio.

XI.

DOCENTEM in scholâ Professore attentis ac silentibus audiant. Ab exercitiis nunquam absint, aut reduces, tùm primum absentiarum causam afferant probabilem: non egrediantur è scholâ, sine licentiâ: Egressi urgente necessitate statim redeant. In primoribus scholis assuescant latine loqui, in altioribus veritum sit loqui vernaculè. Nulli rei vacent in scholâ, nisi ei quam docentur. Omnium studia foveat nobilis æmulatio, ac secum reputent, ad quàm sint eximia nati, & quantum spei Respublica in illorum institutione reponat.

XII.

CUM stilus sit optimus dicendi Magister, lectione & imitatione crebrâque scriptione comparandus est. Atque ut memoria etiam, quæ scientiæ thesaurus est, magis ac magis corroboretur, Caveant Magistri, vel omnium maxime, ne pueris excidat quicquam eorum, quæ in præcedenti quâlibet classe feliciter perceperint & didicerint; sed quâ minis, quâ præmiis, ac omni ratione præstent, ut jam parva conserventur, atque in dies justa fiat accessio: hanc in rem publicæ sæpius fiant in Scholis exercitationes, quarum duplex Programma ab humanistis, sicut Theses duplices à Philosophiæ auditoribus, ampliss. D. D. Rectori, honoris causâ deferentur.

XIII.

MUSARUM hospitia pacem amant ac silentium. Nullus igitur Scholasticus harum- ce Aedium limen accinctus ense ingrediatur; nullus in arêa ludat, clamet, aut deambulet tempore lectionum aut disputationum. Ibidem nullus moretur, dum Divinum Officium peragitur, dum habetur Concio, Cathedesis, aut exhortatio; dum denique, qui in eo habitant, in cubiculis ac mufæis studiorum causâ detinentur. Nullus item Scholasticus in Conviutorum cubicula ascendat, sine licentiâ Gymnasiarchæ, aut ejus, qui per hebdomadam disciplinæ Collegii præest, Professoris.

XIV.

SCHOLASTICI de novo advenientes, primum omnium Gymnasiarcham adeant; ei sua nomina dent; examini se subjiciant, & in eam Classem admittantur, quâ ipse dignos illos censuerit. Nemo Classem, illo nesciente mutaverit, aut gradum ab uno ordine in alium faciet, quin prius ab eodem, seu privato, seu publico, sub anni finem judicio, fuerit approbatus. Ad eum quique Professor Auditorum suorum Catalogum deferet singulis semestribus, & cum eo sæpè conferet de cuiusque indole, virtutibus aut vitiis, ut & ipse pro virili omnium utilitatibus consulat. Euntes suâ Sponte, præmiis, & laude cohonestet; tardiores gradum cogat accelerare.